Jahresbericht

des

Königl. Friedrichs-Gymnasiums zu Breslau,

durch welchen

zu den am 30. und 31. März 1871

stattfindenden

Prüfungen und Schulfeierlichkeiten

ehrerbietigst und ergebenst einladet

Prof. Dr. Lange,

Director.

Inhalt.

Breslau.

Druck von C. H. Storch und Comp.

De attractionis usu in infinitivo tragicorum locis collatis

scripsit

Dr. J. Krause.

Tandem mihi contigit, ut quae jam dudum oportuit in publicum proferrem: quam enim scriptiunculam de trium attractionis generum usu apud tragicos conscriptam octo annis abhinc amplissimi philosophorum ordinis auctoritati subjeci, duas tantum partes in dissertationis inauguralis formam redactas typis exprimendas curari; tertiam partem, qua attractionis usus in infinitivo adumbratur, sejunxi quippe qui censerem dissertationem totam illam scriptiunculam complectentem solito longiorem futuram esse, et illud tempus expectandum putavi quo programmati scholari inserere mihi liceret. Sed quum initio curriculi in schola hujus urbis ad Sct. Spiritum praeceptoris munere fungerer, res philologica a me tractata parum apta mihi videbatur, quae illius scholae programmate proferretur. Itaque mihi in hac schola collegarum ordinem rite observanti nunc demum occasio oblata est id quoque, quod de usu attractionis in infinitivo conscripsi, doctorum hominum judicio proponendi.

I.

Alium verae attractionis usum tractabimus, qui est in infinitivo: in quo quum variae sint species, aliquid longius repetere opus erit ut ea quae de hoc attractionis genere judicamus accuratius adumbremus. — Constat in lingua latina praedicata in iis infinitivis, qui verbis auxiliaribus similibusque paucis aliis adjunguntur, subjecto infinitivi omisso accommodari subjecto verbi finiti quod idem est atque infinitivi subjectum. Graeci vero non modo in infinitivis qui verbis auxiliaribus adhaerent, sed ubicunque infinitivi idem subjectum quod verbum finitum habent, et infinitivi subjectum omittunt et praedicatorum illa quae vocatur attractione utuntur. Qua attractione idem fere effici puto quod in verbis auxiliaribus, ut subjectum cum infinitivo et praedicatis suis summa sententiae fiant, ad quam amplius definiendam vel adumbrandum verbum finitum accedit, veluti in Aesch. Agam. 1581:*)

*) Aeschyli numeri sunt editionis Hermannianae, Sophoclis editionis Brunckianae, cujus numeri exstant in editione Erfurdtiana et Hermanniana, Euripidis editionis Kirchhoffii.

σὺ δ' ἄνδρα τόνδε φῂς ἑκὼν κατακτανεῖν
μόνος δ' ἔποικτον τόνδε βουλεῦσαι φόνον,

summa sententiae continetur in: σὺ κατέκτανες ἑκὼν τόνδε ἄνδρα, μόνος δ' ἔποικτον τόνδε ἐβούλευσας φόνον, quae per φῂς verbum finitum aliquid illustratur, quasi dicatur in parenthesi „ut tu quidem dicis." — Itaque satis commode cognosci potest, quae causa sit, cur in nonnullis tamen locis et subjectum infinitivo additum et attractio praedicatorum neglecta sit; qui loci ex tragicorum fabulis hi sunt: Aesch. Pers. 172. Prom. 270. Soph. Elect. 65. 471. Aj. 606. Oed. R. 1514. Oed. Col. 1019. Eur. Alc. 652. 679. Hel. 1519. Heracl. 973. Andr. 542. In quibus sicut utrumque membrum suum subjectum habet, ita et verbi finiti et infinitivi sententia subtiliter atque accurate inter se discernuntur ita ut verbum finitum vim accipiat majorem eique plane opponatur objectum quod est infinitivus; veluti in Aesch. Pers. 172

εὖ τόδ' ἴσθι γῆς ἄνασσα τῆςδε, μή σε δὶς φράσαι
μήτ' ἔπος μήτ' ἔργον ὧν ἂν δύναμις ἡγεῖσθαι θέλη,

praecedente eodem subjecto verbi finiti ita infinitivo suum subjectum additum puto, ut gravior notio verbi finiti εἰδέναι fieret eique objectum dilucidius opponeretur; nam poeta chorum reginae sollemnem fidei affirmationem tribuere cupientem facit, quod hoc loco jam pronomine demonstrativo τόδε indicatur. — Neque igitur ejus rei causa posita est in eo quod grammatici volunt, addito infinitivi subjecto sententiam aut dilucidiorem aut graviorem reddi. Sensus enim dilucidus etiam in constructione vulgari facile erui potest, ut elucet ex Soph. Aj. 825:

αἰτήσομαι δέ σ' οὐ μακρὸν γέρας λαχεῖν

„abste petam ut parvum munus sortiar."

Gravitatem vero atque vim subjecto infinitivi Graeci alia ratione, quam infra exponemus, addunt. Nec minus in participiis eandem oppositionem duorum membrorum animadvertere licet, cf. Soph. Trach. 706:

ὁρῶ δέ μ' ἔργον δεινὸν ἐξειργασμένην,

et Soph. Oed. Col. 1209.

Sed discrepant ab hoc usu, quem modo docuimus, duo tragicorum loci in Aesch. Ag. 460:

τίς ὧδε παῖδνος ἢ φρενῶν κεκομμένος
φλογὸς παραγγέλμασιν
νέοις πυρωθέντα καρδίαν, ἔπειτ'
ἀλλαγᾷ λόγου καμεῖν;

et Soph. Oed. R. 1191:

τίς γάρ, τίς ἀνὴρ πλέον
τᾶς εὐδαιμονίας φέρει
ἢ τοσοῦτον ὅσον δοκεῖ
καὶ δόξαντ' ἀποκλῖναι;

in quibus subjecto infinitivo, quia idem est atque verbi finiti, non addito appositionum attractio est neglecta. Neque dubitem eo excusare, quod verbi finiti subjectum in his quaestionibus tam late pateat, ut appositio in infinitivo non referatur ad certum subjectum grammaticum, sed in accusativo dicatur quasi sententia incipiat verbis: οὐκ ἔστι πυρωθέντα καμεῖν etc. Accedit quod uterque locus in canticis invenitur, in quibus audacia orationis talia facile permittit.

Itaque non opus est in Aeschyli loco conjectura a Stanleyo prolata *πυρωθεὶς* qui sane praeter solitum attractionem neglectam esse perspexit, neque ellipsin particulae *ὥςτε* a Bloomfieldo statutam ullam explicationem afferre patet. Neglectam vero attractionem, ut Hermannus conjecit in Aesch. Choeph. 475:

κἀγώ, πάτερ, τοιῶνδε σου χρείαν ἔχω
τυχεῖν, μέγαν προςθεῖσαν Αἰγίσθῳ φόρον,

defendi posse nego, quia cur omisso infinitivi subjecto tamen appositio accusativum induat, causam non invenio.

Alia hujus modi attractionis species est, in qua infinitivi subjecto omisso, quod idem est atque objectum verbi finiti, aut praedicatum aut appositio pertinens ad illud infinitivi subjectum accommodatur objecto verbi finiti. Pervulgatum autem Graecis praeceptum est, ut subjectum infinitivi si idem est atque objectum verbi finiti, omittant: cf. Soph. Trach. 454

ὡς ἐλευθέρῳ
ψευδεῖ καλεῖσθαι κὴρ πρόςεστιν οὐ καλή.

Cui regulae repugnantes locos in tragicorum fabulis legi tres: in Aesch. Sept. 769

τέκνοισιν δ᾽ ἀρὰς
ἐφῆκεν ἐπικότους τροφᾶς
αἰαῖ, πικρογλώσσους ἀράς,
καί σφε σιδαρον ὁμῳ
δία χερί ποτε λαχεῖν
κτήματα,

qui legitur in cantico, ubi vox *τέκνοισιν* initio primi membri posita per pronomen *σφὲ* ne in altero membro memoria excidat, repetitur. At, quod maximi momenti est, verbo finito *ἐφῆκεν* primo loco substantivi accusativus (*ἐπικότους ἀράς*) adjunctus est, cui ut altero loco plane responderet alterum objectum, infinitivum addito subjecto omnibus numeris absolutum reddere opus erat. — Alterum locum legimus in Soph. Phil. 349:

ταῦτ᾽, ὦ ξέν᾽. οὕτως ἐννέποντες οὐ πολὺν
χρόνον μ᾽ ἐπέσχον μή με ναυστολεῖν ταχύ,

quo loco Schneidewinus poeticam ejusdem verbi repetitionem jure statuere mihi videtur, collatis locis in Soph. Trach. 218 et Oed. Col. 1279.

Similis tertius locus in Aesch. Eum. 37:

ἦ δεινὰ λέξαι, δεινὰ δ᾽ ὀφθαλμοῖς δρακεῖν
πάλιν μ᾽ ἔπεμψεν ἐκ δόμων τῶν Λοξίου
ὡς μήτε σωκεῖν μήτε μ᾽ ἀκταίνειν βάσιν.

Quibus autem locis praedicatum aut appositio subjecti infinitivi objecto verbi finiti accommodatur, eos omnes ex tragicorum fabulis enumerare longum est, paucos igitur insignes praeter locum supra laudatum annotabo: Soph. Aj. 1310. 1323. Phil. 9. 1274. Eur. Iph. Aul. 840. Hipp. 406. Iph. Taur. 1312. — Vim vero attractionis eandem esse in hoc genere puto quam supra demonstravimus, ut objectum verbi finiti, quod idem subjectum infinitivi est, cum praedicatis et appositionibus arcte connexum longe exageretur prae verbo finito, quod leviter tantum haec inter se cohaerentia verba adumbrat, veluti in Soph. Phil. 9:

ὅτ' οὔτε λοιβῆς ἧμιν οὔτε θυμάτων
παρῆν ἐκήλοις προςθιγεῖν κ. τ. λ.

summa sententiae est: ἡμεῖς οὔτε λοιβῆς οὔτε θυμάτων προςεθίγομεν ἕκηλοι et accuratius definitur per παρῆν „atque quidem potuimus, licuit“ quo verbo finito accedente ἡμεῖς in dativum commutari necesse est aeque ac ἕκηλοι. — Item in Eur. Iph. Aul. 840:

πᾶσιν τόδ' ἐμπέφυκεν, αἰδεῖσθαι φίλους
καινοὺς ὁρῶσι καὶ γάμου μεμνημένοις

sic intelligi debet: πάντες αἰδοῦνται φίλους καινοὺς ὁρῶντες et in parenthesi quasi adjectum est ἐμπέφυκε τόδε αὐτοῖς. — Sed ut in attractione nominativi locos supra observavimus apud tragicos, in quibus subjecto denuo in infinitivo addito attractionem neglectam vidimus, sic in hoc attractionis genere locos collegimus, ubi in infinitivo praedicata aut appositiones subjecti omissi non accommodata sunt objecto verbi finiti, quod idem atque subjectum infinitivi est, sed accusativum retinent. Institui autem, quia hoc latius patet nec ab ullo grammatico tentatum cognovi, ejusmodi locos sequenti paragrapho accuratius explicare. —

Nunc postquam exposuimus quid nos de attractione in infinitivo sentiamus, recenseamus oportet grammaticorum sententias. Atque Buttmannus, qui de tota hac attractionis specie scripsit in gramm. gr. § 141 et § 142, aliud attractionis esse genus (§ 142, 4 ann. 2) dicit in verbis πρέπει, ἔξεστι, προςήκει etc., si accedente infinitivo persona i. e. infinitivi subjectum accusativum induit. Hanc vero attractionem omnino esse nego, quamquam manifestum ut opinor discrimen intercedit inter constructionem verborum cum dativo cum infinitivo, ut ita dicam, et verborum cum accusativo cum infinitivo. Si subjectum infinitivi ita constructum est, ut fiat dativus verbo finito adjunctus; hoc subjectum cum praedicatis et appositionibus connexum majorem vim atque pondus habere quam verbum finitum jam exposuisse mihi videor. Sin vero ejusmodi verbum finitum per se positum est, quod sequitur accusativus cum infinitivo, persona illa, quae subjectum est infinitivi, nullius est momenti, sed duo membra inter se opponuntur atque discernuntur et verbum finitum et accusativus cum infinitivo ita ut parem vim et pondus obtineant: cf. Eur. Iph. Aul. 1196:

Ταῦτ' ἦλθες ἤδη διὰ λόγων, ἢ σκῆπτρά σοι
μόνον διαφέρειν καὶ στρατηλατεῖν σε δεῖ,

ubi utraque constructio occurrit perperam explicata ab Hermanno in edit., qui ait; „nec σοὶ tentandum, quod pariter ac σὲ cum δεῖ construitur, sed ideo positum est, ne si pro eo σὲ esset, σὲ μόνον jungeretur.“ Quam causam quum non sufficere mihi persuasum sit, eam quam supra protuli interpretationem usurpandam duco; nam hoc loco primum refert personam efferre atque exaggerare, de qua sermo sit, quae negotium aliquid exsequendi susceperit, et minoris momenti verbum finitum est, itaque dicitur σοὶ σκῆπτρα διαφέρειν; in altero autem membro καὶ στρατηλατεῖν illius personae vis augeatur non jam oportet, sed ut novum officium de persona satis jam antea adumbrata praedicetur, accusativus cum infinitivo dicitur καὶ στρατηλατεῖν σε δεῖ. Loci plane consimiles sunt: Soph. Oed. R. 817 (sicuti Dindorfius scripsit), ibidem v. 824. Ant. 28. 204. Confer quoque Eur. Troad. 48. Aesch. Pers. 101. Soph. Ant. 1096. — In Aesch. Choeph. 701:

αἰνῶ δὲ πράσσειν ὡς ὑπευθύνῳ τάδε

persona servi, cui curae essent hospites, praecipue illustranda erat, non notio verbi *αἰνεῖν*, nam servo alicui imperare nihil insolitum est, ut permagna exaggeratione non egeat, sed ea est sententiae summa, ut servus quidam *ὑπεύθυνος* imperata facturus sit: quam ob causam dativus infinitivo adjungitur.

Praecipue vero mihi refutanda videtur sententia Kruegeri in gramm. gr. § 55, 2 ann. 1—4 de attractione nominativi in infinitivo, quae sententia plane abhorret ab iis quae ceteri grammatici de hac re disputaverunt. Eam enim legem esse in graeco sermone dicit, ut subjectum infinitivi nominativum obtineat, si subjectum verbi finiti repetatur per pronomen, accusativum vero, si diversum sit a subjecto verbi finiti. Sed ego quum sequerer eos grammaticos, qui infinitivi esse talem naturam probaverunt, ut accusativum subjecti requirat quum in latino tum in graeco sermone (subtiliter de hac re disputavit Schoemannus § 4 libri „Die Lehre von den Redetheilen"), statui, quibus locis subjectum infinitivi quia idem esset atque verbi finiti, esset omissum, non nominativum sed accusativum deesse, per attractionem autem nominativos praedicatorum et appositionum in infinitivo esse explicandos. Dein quae exempla Kruegerus l. l. attulit, in quibus *αὐτὸς* nominativus occurrit infinitivo appositus, assentior iis, quae Buttmannus in gramm. gr. dixit, in numero appositionum subjecti hoc pronomen *αὐτὸς* habendum esse, quod per attractionem subjecto verbi finiti accommodetur: cujus rei tragici quoque multa exempla exhibent, veluti in Soph. Elect. 1305:

κοὐδ' ἄν σε λυπήσασα δεξαίμην βραχὺ
αὐτὴ μέγ' εὑρεῖν κέρδος

Eur. Alc. 37: *ἣ τόδ' ὑπέστη πόσιν ἐκλύσασ'*
αὐτὴ προθανεῖν Πελίου παῖς

cf. Soph. Aj. 267. Eur. Phoen. 479. Hipp. 714 etc.

Inter ceteros vero locos a Kruegero prolatos pauci inveniuntur, quibus vere subjectum infinitivi per pronomen personale denuo repetitur: quos quum ex Platone et Demosthene suppeditet nec apud tragicos nisi in Eur. Cycl. 265:

ἀπώμοσ', ὦ κάλλιστον ὦ Κυκλώπιον,
ὦ δεσποτίσκε, μὴ τὰ σ' ἐξοδᾶν ἐγὼ
ξένοισι χρήματ', ...

ejusmodi exemplum invenerim, hic usus recentiori tempore ortus esse mihi videtur repugnans rationi et naturae infinitivi, sed aptus ad vim orationis augendam. Quod enim in illa structura, in qua infinitivi subjectum quamquam eandem personam atque subjectum verbi finiti exhibet per accusativum pronominis significatur, non fieri docuimus ut notio ac vis subjecti infinitivi augeatur, id huic subjecti verbi finiti repetitioni, quae per nominativum pronominis personalis fit in infinitivo, subesse cognoscas. Qua quidem pronominis repetitione Graeci usi esse non mihi videntur nisi in sollenniter dictis et quod Buttmannus jam protulit, ubi uni verbo finito duo infinitivi adjunguntur, quorum alterutri idem subjectum est, quod verbo finito, alteri diversum.

In re plane alia offendo ea spectans atque recensens, quae Bernhardy in synt. gramm. gr. de attractionis usu in infinitivo disputavit; p. 365 dicit: „Die Attraktion ist zur schärfern Einheit des Bestimmenden, dem sich der Infinitiv als unwesentliche Ergänzung zugesellt. Somit ziehen der Nominativ und noch öfter der Dativ des grammatischen oder verstandenen Subjekts

gleiche Casus an sich: φῇς πολέμιος εἶναι, Du sprichst als Feind, der du sein willst.“ Ego enim, sicut in verbis auxiliaribus cum infinitivo conjunctis omisso subjecto infinitivi attractio usurpata invenitur, quâ re subjectum cum infinitivo summam vim obtineant, sic statuo hanc similitudinem sequentes Graecos in omnibus ceteris verbis, quae infinitivum secum habent, omisso infinitivi subjecto si idem esset atque verbi finiti, attractionem usurpasse, qua idem fere significarent, quod in verbis auxiliaribus: si vero opus esset verbi finiti notionem accurate circumscribere atque definire, attractionem eos neglexisse et infinitivo suum subjectum per pronominis personalis accusativum additum esse. Atque haec eadem explicatio cadit in eam constructionem, in qua subjectum infinitivi adjuncti objecto verbi finiti (quod aut dativum aut genitivum aut accusativum casum obtinere potest) eandem personam quam illud objectum significat: quam rem jam supra accuratius exposui. Illa igitur similitudine verborum auxiliarium fretus ab iis discedere ausus sum, quae auctor sane gravissimus Bernhardy l. l. protulit, praesertim quum mea explicandi via atque ratione omnibus tragicorum locis qui attractionis usum in infinitivo aut perhibent aut neglegunt, satisfieri putarem: quod quomodo illa ratione fieri posset, non perspexi. In fine autem disputationis suae Bernhardy idem fecit, quod jam in Elmsleyo vituperavit Lobeck ad Soph. Aj. v. 1006 p. 419. Bernhardy enim disparia composuit Aesch. Choeph. 396 (405 ed. Herm.):

πέπαλται δ᾽αὖτέ μοι φίλον κέαρ
οἰκτρὸν τόνδε κλύουσαν οἶκτον,

in quo nullus infinitivus intercedit, ad quem dativus referri possit, et Herod. VII, 95 Ἀβυδηνοῖσι γὰρ προσετέτακτο .... μένουσι φύλακας εἶναι, ubi in infinitivo attractio neglecta invenitur. —

II.

Hac paragrapho mihi proposui, ut quam explicationis rationem praecedenti paragrapho secutus sum, eadem eos tragicorum locos recenserem, quibus aut genitivus aut dativus attractionis qui vocatur neglectus est. Ejusmodi autem locorum rationem grammaticos nondum perspexisse satis manifestum est, quorum alii nullum discrimen intercedere inter dativum et accusativum praedicatorum aut appositionum subjecti in infinitivo existimaverunt, alii perperam ac leviter de hoc disputaverunt. Veluti Buttmannus attractionem negligi contendit perspicuitatis causa, quae in quo contineretur minime exposuit: nam praedicatum subjecti infinitivi quo referri debeat, multo melius attractione usurpata, quam neglecta perspici posse puto. Rostius autem, si objectum verbi finiti ab infinitivo et appositionibus subjecti ejus pluribus verbis separatum esset, frequenter attractionem neglectam esse affirmat, sed aliis quoque locis idem fieri adjungit, qua ex re nullum discrimen eum statuere patet. Quod item in Lobeckium et Kruegerum cadit, quorum alter ad Soph. Aj. 1006 ait: „addito infinitivo nihil interest, utrum casus appositionis huic accommodetur an praemisso pronomini (obversante oculis loco in Aesch. Ag. 1579

Οὕτω καλὸν δὴ καὶ τὸ κατθανεῖν ἐμοί,
ἰδόντα τοῦτον τῆς δίκης ἐν ἕρκεσιν.)

Kruegerus vero inter alia hoc disputavit in gramm. gr. § 55, 2 ann. 7. „Unzulässig jedoch wäre der Accusativ z. B. in der letzten Stelle A. 5 (qui locus est ex Thuc. 1, 71 *βουλομένων ὑμῶν προθύμων εἶναι μενοῦμεν*) wo *εἶναι* bloss Copula und *προθύμων* Prädikat ist“ quasi attractionis usurpatae causa in eo esset, quod *εἶναι* cum praedicato aliquo positum esset: qua de re conferas si lubet, Soph. Trach. 468:

σοὶ δ'ἐγὼ φράζω κακὸν
πρὸς ἄλλον εἶναι, πρὸς δ'ἔμ' ἀψευδεῖν ἀεί,

quo loco quamquam copula *εἶναι* cum praedicato *κακὸς* occurrunt, attractio neglecta reperitur. — Sed ideo accusativus *προθύμους* ab illo Thucydidis loco alienus est primum, quod quum *ὑμῶν* non sit genitivus objecti sed subjecti (quod propter constructionem genitivi absoluti genitivum casum induit) et subjectum infinitivi quia idem est atque verbi finiti omittatur, praedicatum accommodari debet casui, quem verbi finiti subjectum habet. Addito enim tantum subjecto infinitivi praedicatum in accusativo collocare licet in hac attractionis specie, exceptis ut jam supra docuimus, duobus locis in Aesch. Ag. 460 et Soph. Oed. R. 1191. Accedit, quod in Thuc. loco verbum finitum *βούλομαι* in numero verborum auxiliarium est, quorum infinitivis adjunctis nunquam fere subjectum additur. —

Sed ego quum Graecos non promiscue dativum aut genitivum et accusativum appositionis in infinitivo usurpasse putarem, rationem meam totius attractionis generis in infinitivo explicandi satis idoneam quoque esse ad hoc discrimen indicandum atque explanandum facile cognovi. Sed hoc intercedit discrimen inter eos locos, in quibus attractio nominativi, et eos, in quibus attractio genitivi aut dativi neglecta est, ut in illis subjectum infinitivi per pronomen personale repetatur, in his repetitionem subjecti Graeci nimis molestam judicantes omiserint, veluti si in Soph. Trach. 468 supra l. pro *σοὶ δ'ἐγὼ φράζω κακὸν πρὸς ἄλλον εἶναι* diceretur: *σοὶ δ'ἐγὼ φράζω κακόν σε εἶναι.* Sed praestat singulos tragicorum locos recensere, quo accuratius ratio ita neglectae attractionis perspiciatur.

Et primum eos locos afferam in quibus praedicatum subjecti infinitivi accusativum pro dativo aut genitivo obtinet: Aesch. Choeph. 133. Soph. Trach. 468. Aj. 116. Phil. 1472. Eur. Her. 477. Atque in Aesch. Choeph. 133:

αὐτῇ τέ μοι δὸς σωφρονεστέραν πολὺ
μητρὸς γενέσθαι χεῖρά τ' εὐσεβεστέραν,

ubi Electra solemne votum facit, refert distinguere actionem dandi ejusque objectum quod est infinitivus; quod facilius intelligeretur, si constructio haec esset: *δός με εὐγενεστέραν γενέσθαι*: nostro autem loco accedit, quod personae significatio addita est verbo finito *δός*, quo illa distinctio non tollitur. Similes sunt loci Soph. Tr. 468

σοὶ δ'ἐγὼ φράζω κακὸν
πρὸς ἄλλον εἶναι, πρὸς δ'ἔμ' ἀψευδεῖν ἀεί.

et Soph. Aj. 116:

τοῦτό σοι δ'ἐφίεμαι
τοιάνδ' ἀεί μοι ξύμμαχον παρεστάναι,

in quibus notiones imperandi ab iis, quae imperantur, discernuntur, nec multum discrepat locus in Soph. Phil. 1472:

χωρῶμεν δὴ πάντες ἀολλεῖς,
Νύμφαις ἁλίαισιν ἐπευξάμενοι,
νόστου σωτῆρας ἱκέσθαι,

ubi verbum precandi occurrit. In Eur. vero loco in Her. 477:

γυναικὶ γὰρ σιγή τε καὶ τὸ σωφρονεῖν
κάλλιστον εἴσω θ' ἥσυχον μένειν δόμων

plura subjecta verbo finito *κάλλιστόν ἐστιν* apponuntur, in quorum numero infinitivus quoque est *μένειν ἥσυχον*: inde perspicuum est attractionem omissam esse, ut subjecti natura recte atque dilucide perspiceretur. —

Sequuntur loci, in quibus appositiones (quae sunt plerumque participia) subjecti infinitivi non accommodantur objecto verbi finiti (seu genitivo seu dativo) sed accusativum obtinent ad discernendum verbum finitum atque infinitivum. Primum igitur Aeschyli locos explanemus, qui sunt: in Ag. 27. 327. 890. 1159. 1579. Choeph. 690. 1028. Eum. 614. 795. 855. Prom. 219; quorum locus in Aesch. Ag. 27:

Ἀγαμέμνονος γυναικὶ σημανῶ τορῶς,
εὐνῆς ἐπαντείλασαν ὡς τάχος, δόμοις
ὀλολυγμὸν εὐφημοῦντα τῇδε λαμπάδι
ἐπορθιάζειν

verbum imperandi habet, cujus jam supra exempla legimus atque adumbravimus; apte autem opponi potest locus supra explicatus in Aesch. Choeph. 701:

αἰνῶ δὲ πράσσειν ὡς ὑπευθύνῳ τάδε

in quo ad summam sententiae quae in persona cum infinitivo continetur, imperandi notio *αἰνῶ* descriptionem quandam adverbialem affert: in Aesch. Agam. loco vero verbum imperandi sollenniter exaggeratur atque opponitur infinitivo qui imperatum continet. Cui similis est locus in Eum. 795:

ἐγὼ γὰρ ὑμῖν πανδίκως ὑπίσχομαι
ἕδρας τε καὶ κευθμῶνας ἐνδίκους χθονὸς
λιπαροθρόνοισιν ἡμένας ἐπ' ἐσχάραις
ἕξειν, ὑπ' ἀστῶν τῶνδε τιμαλφουμένας.

Complectar nunc tres locos luculentissimos, primum in Eum. 614:

Ζεύς, ὡς λέγεις σύ, τόνδε χρησμὸν ὤπασεν
φράζειν Ὀρέστῃ τῷδε, τὸν πατρὸς φόνον
πράξαντα μητρὸς μηδαμοῦ τιμὰς νέμειν;

infinitivus substantivum objectum *τόνδε χρησμὸν* definit, cujus objecti natura ut perlucide cognoscatur attractio negligitur. Idem cadit in alterum locum in Eum. 855:

> *τοιαῦθ' ἑλέσθαι σοι πάρεστιν ἐξ ἐμοῦ,*
> *εὖ δρῶσαν, εὖ παθοῦσαν, εὖ τιμωμένην*
> *χώρας μετασχεῖν τῆςδε θεοφιλεστάτης*

ubi infinitivus *εὖ δρῶσαν μετασχεῖν* verba explicat: *τοιαῦθ' ἑλέσθαι.* Nec minus perspicua ratio est tertii loci in Ag. 327:

> *ἔρως δὲ μή τις πρότερον ἐμπέσῃ στρατῷ*
> *ποθεῖν ἃ μὴ χρή, κέρδεσιν νικωμένους*

in quo subjectum *ἔρως* infinitivo *ποθεῖν νικωμένους* adumbratur. — Dein in Prom. 219:

> *κράτιστα δή μοι τῶν παρεστώτων τότε*
> *ἐφαίνετ' εἶναι προςλαβόντα μητέρα*
> *ἑκόνθ' ἑκόντι Ζηνὶ συμπαραστατεῖν*

ex omnibus iis rebus, quae in promptu erant, una optima fuisse dicitur, quae summa sententiae est, itaque distincte separare oportuit subjectum totius sententiae *συμπαραστατεῖν προςλαβόντα* et praedicatum *ἐφαίνετο κράτιστά μοι εἶναι.* Consimilis est locus in Ar. eq. 30:

> *κράτιστα τοίνυν τῶν παρόντων ἐστὶ νῷν,*
> *θεῶν ἰόντε προςπεσεῖν του πρὸς βρέτας.*

Aeschyli autem locus in Choeph. 690:

> *πρὸς δυσσεβείας δ' ἦν ἐμοὶ τόδ' ἐν φρεσὶν*
> *τοιόνδε πρᾶγμα μὴ καρανῶσαι φίλοις*
> *καταινέσαντα καὶ κατεξενωμένον*

ex eo quod modo dixi parum difficultatis habebit, neque locus in Ag. 1579:

> *οὕτω καλὸν δὴ καὶ τὸ κατθανεῖν ἐμοί,*
> *ἰδόντα τοῦτον τῆς δίκης ἐν ἕρκεσιν.*

Sed magis memoratu dignus locus est in Choeph. 1028:

> *καὶ φίλτρα τόλμης τῆςδε πλειστηρίζομαι*
> *τὸν πυθομάντιν Λοξίαν, χρήσαντ' ἐμοὶ*
> *πράξαντι μὲν ταῦτ' ἐκτὸς αἰτίας κακῆς*
> *εἶναι, παρέντα δ' — οὐκ ἐρῶ τὴν ζημίαν*

ubi per attractionem in *πράξαντι* arta conjunctio fit personae *μοι* cum infinitivo et appositionibus *πράξαντι ἐκτὸς εἶναι,* quae conjunctio in *παρέντα* soluta reperitur. Orestes enim primum se semper oraculorum jussa exsequi, in altero autem membro illud *παρέντα* ad se omnino non pertinere significat. — Locus vero in Ag. 890:

ἐν ποικίλοις δὲ θνητὸν ὄντα κάλλεσιν
βαίνειν ἐμοὶ μὲν οὐδαμῶς ἄνευ φόβου

aliquid discrepat a ceteris, quia infinitivus *βαίνειν* cum appositione *θνητὸν ὄντα* verbo finito cum dativo personae conjuncto praecedit, quod facilem explicationem praebet. Primum enim Agamemno de quovis homine dicere velle neque suam personam proferre videtur, dein consilio mutato generalem illam sententiam ad se refert. — Reliquus nunc est Aeschyli locus, in quo uno pro genitivo appositionis accusativus retinetur: in Ag. 1159:

θαυμάζω δέ σου
πόντου πέραν τραφεῖσαν ἀλλόθρουν πόλιν
κυρεῖν λέγουσαν ὥςπερ εἰ παρεστάτεις

quia notio *θαυμάζειν* et id quod chorus admiratur inter se distinguuntur cf. supra Ag. 27 et Eum. 795. —

Sequuntur Sophoclis loci: Oed. Col. 92. El. 962. Aj. 1007. Phil. 669: ex quibus locus in Oed. Col. 92:

ὅς μοι, τὰ πόλλ' ἐκεῖν' ὅτ' ἐξέχρη κακά,
ταύτην ἔλεξε παῦλαν ἐν χρόνῳ μακρῷ,
ἐλθόντι χώραν τερμίαν, ὅπου θεῶν
σεμνῶν ἕδραν λάβοιμι καὶ ξενόστασιν,
ἐνταῦθα κάμψειν τὸν ταλαίπωρον βίον,
κέρδη μὲν οἰκίσαντα τοῖς δεδεγμένοις,
ἄτην δὲ τοῖς πέμψασιν οἵ μ' ἀπήλασαν,

ad similitudinem loci in Aesch. Eum. 614 accedit, quoniam infinitivus *ἐνταῦθα κάμψειν οἰκίσαντα* objectum verbi finiti *ταύτην παῦλαν* describit.

In Phil. 669:

παρέσται ταῦτά σοι καὶ θιγγάνειν
καὶ δόντι δοῦναι κἀξεπεύξασθαι βροτῶν
ἀρετῆς ἕκατι τῶνδ' ἐπιψαῦσαι μόνον

verbum *εὔξασθαι* occurrit, quod jam supra ad Soph. Phil. 1472 observavimus; praeterea vero nostro loco persona constructione *παρέσται σοι ἐξεπεύξασθαι* jam satis indicata est, ita ut duplex quasi attractio, si scriberetur *μόνῳ*, molesta esset atque abundaret.

Dein in Aj. 1007:

ποῖ γὰρ μολεῖν μοι δυνατὸν, ἐς ποίους βρότους
τοῖς σοῖς ἀρήξαντ' ἐν πόνοισι μηδαμοῦ;

idem acidere mihi videtur quod in Euripidis locis observabimus, ut distinctio quidem verbi finiti et infinitivi fiat, ita tamen ut infinitivus cum appositionibus generalem sensum accipiant quasi certa persa non praegressa sit. Quod nobis quoque quodammodo imitari nostro sermone licet: Wohin zu gehen wäre mir möglich, zu welchen Menschen, wenn man gar nicht in Deinen

Mühen Beistand geleistet? Teucer enim hoc dicendi genere illud *μηδαμοῦ ἀρήξαντα* a se arcere quasi atque amovere vult, quod jam vidimus in Aesch. Ag. 890 ubi inversa verborum collocatio facilem explicationem praebuit.

Denique Soph. El. 962:

> ᾗ πάρεστι μὲν στένειν
> πλούτου πατρῴου κτῆσιν ἐστερημένῃ,
> πάρεστι δ' ἀλγεῖν ἐς τοσόνδε τοῦ χρόνου
> ἄλεκτρα γηράσκουσαν ἀνυμέναιά τε

ita explicandum judico ut supra in praecedenti paragrapho diximus de Eur. Iph. Aul. 1196: nam per dativum pronominis relativi ᾗ, quod conjunctum est cum appositione *ἐστερημένῃ*, persona satis significatur et exaggeratur, qua re in altero membro non jam est opus, sed nova actio verbo finito, quod repetitum vim accipit majorem, adjungitur. — Priusquam decedamus a Sophoclis locis, recenseamus locum in Oed. R. 353:

> ἐννέπω σὲ τῷ κηρύγματι,
> ᾧπερ προεῖπας, ἐμμένειν κἀφ' ἡμέρας
> τῆς νῦν προςαυδᾶν μήτε τούςδε μήτ' ἐμέ
> ὡς ὄντι γῆς τῆςδ' ἀνοσίῳ μιάστορι.

Dativum *ὡς ὄντι ἀνοσίῳ μιάστορι* ideo scribi, ne relatio fiat ad praecedentes accusativos *μήτε τούςδε μήτ' ἐμὲ* non concedo neque ejusmodi causam sufficere censeo: in quo conferre licet Eur. Hel. 512:

> κακῶς δέ θ' ἡμῖν ἔσχατον τοῖς ἀθλίοις
> ἄλλους τυράννους αὐτὸν ὄντα βασιλέα
> βίον προςαιτεῖν

ubi tres accusativi diversi generis componuntur. Sed ideo quod Tiresiae primum interfuit id quod contra Oedipodis orationem ei dicendum erat, plane dilucideque definire, primum accusativum cum infinitivo scriptor posuisse mihi videtur; dein ad personam, ad quam vates sua dicta atque jussa refert, accuratius indicandam in dativo casu appositiones personae *ὡς ὄντι κ. τ. λ.* collocavit. Perperam vero ad hunc Sophoclis locum ab editoribus annotantur loci diversi generis, ut Eur. Med. 58:

> ὥςθ' ἵμερός μ' ὑπῆλθε γῇ τε κοὐρανῷ
> λέξαι μολούσῃ δεῦρο Μηδείας τύχας,

ubi infinitivus *λέξαι* ad *ἵμερος* pertinet et verbum *ὑπέρχεσθαι* primum cum accusativo personae, dein cum dativo appositionis construitur, quod item legimus in Eur. Iph. Aul. 488:

> ἄλλως τέ μ' ἔλεος τῆς ταλαιπώρου κόρης
> εἰςῆλθε συγγένειαν ἐννοουμένῳ κ. τ. λ.

et Eur. Or. 200:

> οὐ γάρ μ' ἀρέσκει τῷ λίαν παρειμένῳ.

Occurrit etiam apud tragicos structura ita inversa, ut primum dativus vel genitivus personae, dein accusativus appositionis ponatur quasi praecedat verbum transitivum: quos locos in canticis, non in trimetris versibus invenimus: Aesch. Choeph. 406:

πέπαλται δ' αὖτέ μοι φίλον κέαρ
οἰκτρὸν τόνδε κλύουσαν οἶκτον.

Aesch. Pers. 892:

λέλυται γὰρ ἐμῶν γυίων ῥώμη
τήνδ' ἡλικίαν ἐσιδόντ' ἀστῶν

et Soph. El. 480:

ὕπεστι μοι θράσος
ἁδυπνόων κλύουσαν
ἀρτίως ὀνειράτων. —

Restant Euripidis loci quos leviter percurrere licet ceteris tragicorum jam satis illustratis: Alc. 370. Iph. T. 882. El. 1246. Med. 292. 655. 739. 810. 875. 1227. — Atque in El. 1246:

οὐ γὰρ ἔστι σοι πόλιν
τήνδ' ἐμβατεύειν μητέρα κτείναντα σὴν

et in Med. 655:

ἀχάριστος ὄλοιθ' ὅτῳ πάρεστι
μὴ φίλους τιμᾶν καθαρὰν ἀνοί —
ξαντα κλῇδα φρενῶν,

imprimis in Med. 739:

ἐμοί τε γὰρ τάδ' ἐστὶν ἀσφαλέστατα,
σκῆψίν τιν' ἐχθροῖς σοῖς ἔχοντα δεικνύναι

distinctio illa infinitivi et verbi finiti satis elucet. In Med. 292:

κρεῖσσον δέ μοι νῦν πρός σ' ἀπέχθεσθαι, γύναι,
ἢ μαλθακισθένθ' ὕστερον μέγα στενεῖν,

